



*Nobilissime & Amplissime  
DOMINE,*

**D**ic̄ non potest, quanta  
cum voluptate evolverim  
elegantissimum tuum de-  
usu & abusu Organi libellum, no-  
bilem ingenii tui partum. in quo  
videre licet, quid decoris ignobili  
subjecto addere possit artifex ma-  
nus: cum qui à subjecto sperari  
non potuit, ab ingenio tuo cultus  
accesserit, ut verè materiam supe-  
ret opus, planè voluisti vincere, ita  
omnem pertinaciæ rimam occlu-  
sistī, ut qui dissentire imposterum  
velit, solo dissensu, non judicio,  
quod omnibus extorsisti, à te di-  
stare

57

stare comperiatur. Me quod attinet, ita semper statui, atq; ita aliter sentientibus persuasum volui, aut nullum esse usum Organi, aut illum demum esse legitimum, qui cum Cantu vivo ita sociatur, ut illi & ducis & comitis officium præstet, atque illum animet, inflammet & dirigat. præclara sunt nec plebeiarum animarum Epulæ, que de harmoniæ vi, efficacia & raptu aspersisti. Ego hunc laboris tui fructum auguror, ut minutis & obstreperis istis ingeniis obsequium & silentium imperaveris, & Tibi restituti Organi usus laus omnis in solidum debeatur: ut ubicunque locorum illud Organi & cantus Conjugium admittetur, Tu istius beneficii & decori Autor jure merito celebreris. Aut enim

D<sub>s</sub> valdè

valdè fallor , aut multorum ani-  
 mis scrupulum qui eos hactenus  
 dementarat , exemisti , atque ut  
 sapere audeant , viam præivisti .  
 Quando verò tam humaniter me-  
 cum egisti , ut etiam operis tui Ar-  
 bitrum tuleris , ausus fui , invita-  
 tus tuo exemplo , etiam fœtum  
 meum , quem his diebus pro causa  
 Dei contra ejus hostes in lucem  
 edidi , Amplitudini tuæ dijudican-  
 dum offerre : quo non vulgaria  
 istius sectæ mysteria , & in omnia  
 deteriora prolapsum , uti quidem  
 mihi videtur , Ecclesiæ bono de-  
 texi . Qui enim inter maxima or-  
 namenta tua , id præcipue honori  
 ducas , ut pro Ecclesiæ filio agno-  
 scaris , non dignaberis , credo , iis  
 quæ in Matris communis defen-  
 sionem meditati sumus , pauculas  
horas

59

horas subscicivas impendere. Quæ  
si & accurato tuo judicio probari  
intelligam, uti certè ex animo ex-  
opto, non tam mea, quam Ec-  
clesiæ causa, non est quod me  
positæ in eo operæ pœnitere de-  
beat. Vale, Vir Noblissime &  
Amplissime.

*Lugduni Batavorum, postridie Kalen-*  
*das April. cīc c xli.*

Amplitudini tuæ ex  
animo devotus

*ABRAHAMVS HETDANVS.*

*Nobi-*